



# ORDO MISSÆ CUM POPULO

AD USUM FIDELIUM COMMUNITATUM

SUMMORUM PONTIFICUM PRESS



# ORDO MISSÆ CUM POPULO

<b>RITUS INITIALES .....</b>	<b>4</b>
INTROIT .....	4
ACTUS PAENITENTIALIS.....	4
KYRIE.....	5
GLORIA.....	5
COLLECTA.....	5
<b>LITURGIA VERBI .....</b>	<b>6</b>
LECTIO PRIMA .....	6
PSLAMUS RESPONSORIUS.....	6
LECTIO SECUNDA.....	6
ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM .....	6
EVANGELIUM.....	6
HOMILIA .....	6
CREDO .....	7
<b>LITURGIA EUCHARISTICÆ .....</b>	<b>8</b>
PRAEPARATIO DONORUM.....	8
ORATIO SUPER OBLATA .....	8
PRÆFATIO .....	9
PREX EUCHARISTICA I.....	11
PREX EUCHARISTICA II .....	16
PREX EUCHARISTICA III.....	20
PREX EUCHARISTICA IV.....	24
<b>RITUS COMMUNIONIS.....</b>	<b>28</b>
PATER NOSTER.....	28
RITUS PACIS.....	28
FRACTIO PANIS .....	29
COMMUNIO.....	29
ORATIO POST COMMUNIONEM.....	30
<b>RITUS CONCLUSIONIS.....</b>	<b>31</b>
<b>ORATIONES POST MISSAM .....</b>	<b>32</b>
PLÁCEAT TIBI.....	32
ORATIONES LEONIS XIII .....	32
ORATIO AD D. N. I. C. CRUCIFIXUM .....	34
OBLATIO SUI.....	34
GRATIAM ACTIO POST MISSAM.....	35
ORATIAM AD BEATAM MARIAM VIRGINEM.....	40
ORATIAM AD SANCTI IOSEPH.....	40
ORATIAM AD SANCTUM.....	40
ADORO TE DEVÓTE .....	41

## RITUS INITIALES

### INTROIT

V. In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

R. Amen.

V. Grátia Dómini nostri Iesu Christi, et cáritas Dei, et comunicátio Sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis.

R. Et cum spíritu tuo.

vel.

V. Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo.

R. Et cum spíritu tuo.

vel.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spíritu tuo.

### ACTUS PAENITENTIALIS

V. Fratres, agnoscámus peccáta nostra, ut apti simus ad sacra mystéria celebránda.

**Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres, quia peccávi nimis verbo, ópere et omissióne: mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo precor beátam Mariám semper Vírginem, omnes Angelos et Sanctos, et vos, fratres, oráre pro me ad Dóminum Deum nostrum.**

V. Misereátur nostri omnípotens Deus et, dimissís peccátis nostris, perdúcat nos ad vitam ætérnam.

R. Amen.

**KYRIE**

V. Kýrie, eléison.

R. Kýrie, eléison.

V. Christe, eléison.

R. Christe, eléison.

V. Kýrie, eléison.

R. Kýrie, eléison.

**GLORIA**

Glória in excélsis Deo et in terra pax homínibus bonæ voluntátis.  
Laudámus te, benedícimus te, adorámus te, glorificámus te, grátias  
ágimus tibi propter magnam glóriam tuam, Dómine Deus, Rex  
cæléstis, Deus Pater omnípotens.

Dómine Fili Unigénite, Iesu Christe, Dómine Deus, Agnus Dei, Filius  
Patris, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis; qui tollis peccáta  
mundi, súscipe deprecatióem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris,  
miserére nobis.

Quóniam tu solus Sanctus, tu solus Dóminus, tu solus Altíssimus, Iesu  
Christe, cum Sancto Spíritu: in glória Dei Patris. Amen.

**COLLECTA**

V. Orémus.

R. Amen.

## LITURGIA VERBI

### LECTIO PRIMA

V. Verbum Dómini.

R. Deo grátias.

### PSLAMUS RESPONSORIUS

### LECTIO SECUNDA

V. Verbum Dómini.

R. Deo grátias.

### ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM

### EVANGELIUM

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

V. Lécitio sancti Evangélii secúndum N.

R. Glória tibi, Dómine.

V. Verbum Dómini.

R. Laus tibi, Christe.

V. Per evangélica dicta deleántur nostra delícta

### HOMILIA

**CREDO**

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibílium ómnium et invisibílium.

Et in unum Dóminum Iesum Christum, Fílium Dei Unigénitum, et ex Patre natum ante ómnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómínes et propter nostram salutem descendit de cælis.

Et incarnátus est de Spírítu Sancto ex María Vírgine, et homo factus est.

Crucifíxus étiam pro nobis sub Póntio Piláto; passus et sepúltus est, et resurréxit tértia die, secúndum Scriptúras, et ascéndit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et íterum ventúrus est cum glória, iudicáre vivos et mórtuos, cuius regni non erit finis.

Et in Spírítum Sanctum, Dóminum et vivificántem: qui ex Patre Filióque procedit. Qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur: qui locútus est per prophétas. Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiám. Confíteor unum baptísma in remissiónem peccatórum.

Et exspécto resurrectiónem mortuórum, et vitam ventúri sæculi. Amen.

## LITURGIA EUCHARISTICÆ

### PRAEPARATIO DONORUM

- V. Benedíctus es, Dómine, Deus univérsi, quia de tua largitáte accépmus panem, quem tibi offérimus, fructum terræ et óperis mánuum hóminum: ex quo nobis fiet panis vitæ.
- R. **Benedíctus Deus in sácula.**
- V. Per huius aquæ et vini mystérium eius efficiámur divinitátis consórtes, qui humanitátis nostræ fieri dignátus est párticeps.
- V. Benedíctus es, Dómine, Deus univérsi, quia de tua largitáte accépmus vinum, quod tibi offérimus, fructum vitis et óperis mánuum hóminum, ex quo nobis fiet potus spiritális.
- R. **Benedíctus Deus in sácula.**
- V. In spírítu humilitátis et in ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine; et sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.
- V. Lava me, Dómine, ab iniquitáte mea, et a peccáto meo munda me.
- V. Oráte, fratres: ut meum ac vestrum sacrificium acceptábile fiat apud Deum Patrem omnipoténtem.
- R. **Suscípiat Dóminus sacrificium de mánibus tuis ad laudem et glóriam nóminis sui, ad utilitátem quoque nostrum totiúsque Ecclésiæ suæ sanctæ.**

### ORATIO SUPER OBLATA

- R. **Amen.**



**PRÆFATIO**

V. Dóminus vobíscum.

R. **Et cum spírítu tuo.**

V. Sursum corda.

R. **Habémus ad Dóminum.**

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. **Dignum et iustum est.**

**Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth, Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis.**

**Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.**



**PREX EUCHARISTICA I**  
**(Canon Romanus)**

TE ÍGITUR, clementíssime Pater, per Iesum Christum, Fílium tuum, Dóminum nostrum, súpplīces rogámus ac pétimus, uti accépta hábeas et benedícas ✠ hęc dona, hęc múnera, hęc sancta sacrificia illibáta, in primis, quę tibi offérimus pro Ecclésia tua sancta cathólica: quam pacificáre, custodíre, adunáre et régere dignéris toto orbe terrárum: una cum fámulo tuo Papa nostro **N.** et Antístite nostro (vel huius ecclésię) **N.** et ómnibus orthodoxis atque cathólicę et apostólicę fidei cultóribus.

Meménto, Dómine, famulórum famularúmque tuárum, et ómnium circumstántium, quorum tibi fides cógnita est et nota devótio, pro quibus tibi offérimus: vel qui tibi ófferunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque ómnibus: pro redemptione animárum suárum, pro spe salutis et incolumitátis suę: tibi que reddunt vota sua ætérno Deo, vivo et vero.

Communicántes, et memóriam venerántes, in primis gloriósę semper Vírginis Marię, Genetrícis Dei et Dómini nostri Iesu Christi: \* sed et beáti Ioseph, eiúsdem Vírginis Sponsi, et beatórum Apostolórum ac Mártýrum tuórum, Petri et Pauli, Andréę, (Iacóbi, Ioánnis, Thomę, Iacóbi, Philíppi, Bartholomęi, Matthęi, Simónis et Thaddęi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Ioánnis et Pauli, Cosmę et Damiáni) et ómnium Sanctórum tuórum; quorum méritis precibúsq; concedas, ut in ómnibus protectiónis tuę muniámur auxílio. (Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

---

**COMMUNICANTES PROPRIA**

**In Nativitate Domini et per octavam**

Communicántes, et (noctem sacratíssimam) diem sacratíssimum celebrántes, (qua) quo beátę Marię intemeráta virginitas huic mundo édidit Salvatórem: sed et memóriam venerántes, in primis eiúsdem gloriósę semper Vírginis Marię, Genetrícis eiúsdem Dei et Dómini nostri Iesu Christi: \*

**In Epiphania Domini**

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo Unigenitus tuus, in tua tecum gloria coaeternus, in veritate carnis nostrae visibiliter corporalis apparuit: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genetricis eiusdem Dei et Domini nostri Iesu Christi: \*

**A Missa Vigiliae paschalis usque ad dominicam II Paschae**

Communicantes, et (noctem sacratissimam) diem sacratissimum celebrantes Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi secundum carnem: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genetricis eiusdem Dei et Domini nostri Iesu Christi: \*

**In Ascensione Domini**

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster, unigenitus Filius tuus, unitam sibi fragilitatis nostrae substantiam in gloriae tuae dextera collocavit: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genetricis eiusdem Dei et Domini nostri Iesu Christi: \*

**In Dominica Pentecostes**

Communicantes, et diem sacratissimum Pentecostes celebrantes, quo Spiritus Sanctus Apostolis in igneis linguis apparuit: sed et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genetricis Dei et Domini nostri Iesu Christi: \*

---

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut placatus accipias: diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum iubeas grege numerari. (Per Christum Dominum nostrum. Amen.)



**A Missa Vigilæ paschalis usque ad Dominicam II Paschæ**

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua et Spíritu Sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, Dómine, ut placatus accípias: diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatione nos éripi et in electórum tuórum iúbeas grege numerári. (Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

Quam oblationem tu, Deus, in ómnibus, quæsumus, benedíctam, adscríptam, ratam, rationábilem, acceptabilémque fácere dignéris: ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectíssimi Fílii tui, Dómini nostri Iesu Christi.

Qui, pridie quam paterétur, accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas, et elevátis óculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, tibi grátias agens benedíxit, fregit, dedítque discíplis suis, dicens:

ACCÍPITE ET MANDUCÁTE EX HOC OMNES:  
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,  
QUOD PRO VOBIS TRADÉTUR.

Símili modo, postquam cenátum est, accípiens et hunc præclárum cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas, item tibi grátias agens benedíxit, dedítque discíplis suis, dicens:

ACCÍPITE ET BÍBITE EX EO OMNES:  
HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS  
MEI NOVI ET ÆTÉRNI  
TESTAMÉNTI,  
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDÉTUR  
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.  
HOC FÁCITE IN MEAM COMMÉMORATIÓNEM.

V. Mystérium fidei.

R. **Mortem tuam annuntiámus, Dómine, et tuam  
resurrectiónem confitémur, donec vénias.**

vel.

R. **Quotiescúmque manducámus panem hunc et cálicem bíbimus,  
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.**

vel.

R. **Salvátor mundi, salva nos, qui per crucem et  
resurrectiónem tuam liberásti nos.**

Unde et mémoires, Dómine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, eiúsdem Christi, Fílii tui, Dómini nostri, tam beátæ passiónis, necnon et ab ínferis resurrectiónis, sed et in cælos gloriósæ ascensiónis: offérimus præcláræ maiestáti tuæ de tuis donis ac datis hóstiam puram, hóstiam sanctam, hóstiam immaculátam, Panem sanctum vitæ æternæ et Cálicem salutis perpétuæ.

Supra quæ propítio ac seréno vultu respícere dignéris: et accépta habére, sicuti accépta habére dignátus es múnera púeri tui iusti Abel, et sacrificium Patriárchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus sacérdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculátam hóstiam.

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: iube hæc perférri per manus sancti Angeli tui in sublíme altáre tuum, in conspéctu divínæ maiestátis tuæ; ut, quotquot ex hac altáris participatióne sacrosáctum Fílii tui Corpus et Sánguinem sumpsérimus, omni benedictióne cælesti et grátia repleámur. (Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

Meménto étiam, Dómine famulórum famularúmque tuárum, qui nos præcessérunt cum signo fidei, et dórmiunt in somno pacis.

Ipsis, Dómine, et ómnibus in Christo quiescéntibus, locum refrigerií, lucis et pacis, ut indúlgeas, deprecámur. (Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

Nobis quoque peccatóribus fámulis tuis, de multitudíne miseratiónum tuárum sperántibus, partem áliquam et societátem donáre dignéris cum tuis sanctis Apóstolis et Martýribus: cum Ioánnē, Stéphanō, Matthía, Bárnaba, (Ignátio, Alexándro, Marcellíno, Petro, Felicitáte, Perpétua, Agatha, Lúcia, Agnéte, Cæcília, Anastásia) et ómnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consórtium, non æstimátor mériti, sed vénia, quæsumus, largítor admítte.

Per Christum Dóminum nostrum. Per quem hæc ómnia, Dómine, semper bona creas, sanctíficas, vivíficas, benedícis, et præstas nobis.

- V. Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipoténti, in unitáte Spíritus Sancti, omnis honor et gloria per ómnia sácula sæculórum.
- R. Amen.

**PREX EUCHARISTICA II**

V. Dóminus vobíscum.

R. **Et cum spírítu tuo.**

V. Sursum corda.

R. **Habémus ad Dóminum.**

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. **Dignum et iustum est.**

VERE dignum et iustum est, æquum et salutáre, nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere per Fílium dilectiónis tuæ Iesum Christum, Verbum tuum per quod cuncta fecísti: quem misísti nobis Salvatórem et Redemptórem, incarnátum de Spírítu Sancto et ex Vírgine natum.

Qui voluntátem tuam adímplens et pópulum tibi sanctum acquírens exténdit manus cum paterétur, ut mortem sólveret et resurrectiónem manifestáret. Et ídeo cum Angelis et ómnibus Sanctis glóriam tuam prædicámus, una voce dicéntes:

**Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth, Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis.**

**Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.**



Vere Sanctus es, Dómine, fons omnis sanctitátis. Hæc ergo dona,  
quæsumus, Spíritus tui rore sanctífica, ut nobis Corpus et ✠ Sanguis fiant  
Dómini nostri Iesu Christi.

Qui cum Passióni voluntárie traderétur, accépit panem et grátias agens fregit,  
dedítque discípulis suis, dicens:

ACCÍPITE ET MANDUCÁTE EX HOC OMNES:  
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,  
QUOD PRO VOBIS TRADÉTUR.

Símili modo, postquam cenátum est, accípiens et cálicem íterum tibi grátias  
agens, dedit discípulis suis, dicens:

ACCÍPITE ET BÍBITE EX EO OMNES:  
HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS  
MEI NOVI ET ÆTÉRNI  
TESTAMÉNTI,  
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDÉTUR  
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.  
HOC FÁCITE IN MEAM COMMEMORATIÓNEM.

V. Mystérium fidei.

R. Mortem tuam annuntiámus, Dómine, et tuam  
resurrectiónem confitémur, donec vénias.

vel.

R. Quotiescúmque manducámus panem hunc et cálicem bíbimus,  
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

vel.

R. Salvátor mundi, salva nos, qui per crucem et  
resurrectiónem tuam liberásti nos.

Mémores ígitur mortis et resurrectiónis eius, tibi, Dómine, panem vitæ et cálicem  
salútis offérimus, grátias ágentes quia nos dignos habuísti astáre coram te et tibi  
ministráre. Et súpplīces deprecámur ut Córporis et Sánguīnis Christi partícipes a  
Spírītu Sancto congregémur in unum.

Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ, ut eam in caritatē  
perfícias una cum Papa nostro N., et Epíscopo nostro (vel huius ecclesiæ) N.  
et univérso clero.

---

**In Missis pro defunctis addi potest:**

Meménto fámuli tui (fámulæ tuæ) N., quem (quam) (hódie) ad te ex hoc mundo  
vocásti. Concéde, ut, qui (quæ) complantátus (complantáta) fuit similitúdini  
mortis Fílii tui, simul fiat et resurrectiónis ipsíus.

---

Meménto étiam fratrum nostrórum, qui in spe resurrectiónis dormiérunt,  
omniúmque in tua miseratióne defunctórum, et eos in lumen vultus tui  
admítte.

Omnium nostrum, quæsumus, miserere, ut cum beata Dei Genetrice Virgine Maria, beato Ioseph, eius Sponso, beatis Apóstolis et ómnibus Sanctis, qui tibi a sæculo placuerunt, æternæ vitæ mereámur esse consórtes, et te laudémus et glorificémus, per Fílium tuum Iesum Christum.

**V.** Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipoténti, in unitáte Spíritus Sancti, omnis honor et gloria per ómnia sæcula sæculórum.

**R.** Amen.

**PREX EUCHARISTICA III**

VERE Sanctus es, Dómine, et mérito te laudat omnis a te cóndita creatúra, quia per Fílium tuum, Dóminum nostrum Iesum Christum, Spíritus Sancti operánte virtúte, vivíficas et sanctíficas univérsa, et pópulum tibi congregáre non désinis, ut a solis ortu usque ad occásum oblátio munda offerátur nómini tuo.

Súpplīces ergo te, Dómine, deprecámur, ut hæc múnera, quæ tibi sacránda detúlimus, eódem Spíritu sanctificáre dignéris, ut Corpus et ✠ Sanguis fiant Fílii tui Dómini nostri Iesu Christi, cuius mandáto hæc mystéria celebrámus.

Ipse enim in qua nocte tradebátur, accépit panem et tibi grátias agens benedíxit, fregit, dedítque discípulis suis, dicens:

ACCÍPITE ET MANDUCÁTE EX HOC OMNES:

HOC EST ENIM CORPUS MEUM,

QUOD PRO VOBIS TRADÉTUR.

Símili modo, postquam cenátum est, accípiens et cálicem íterum tibi grátias agens, dedit discípulis suis, dicens:

ACCÍPITE ET BÍBITE EX EO OMNES:

HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS

MEI NOVI ET ÆTÉRNI

TESTAMÉNTI,

QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDÉTUR

IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.

HOC FÁCITE IN MEAM COMMÉMORATIÓNEM.

V. Mystérium fidei.

R. Mortem tuam annuntiámus, Dómine, et tuam  
resurrectiónem confitémur, donec vénias.

vel.

R. Quotiescúmque manducámus panem hunc et cálicem bíbimus,  
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

vel.

R. Salvátor mundi, salva nos, qui per crucem et  
resurrectiónem tuam liberásti nos.

Mémores ígitur, Dómine, eiúsdem Fílii tui salutíferæ passiónis necnon mirábilis  
resurrectiónis et ascensiónis in cælum, sed et præstolántes álterum eius  
advéntum, offérimus tibi, grátias referéntes, hoc sacrificium vivum et sanctum.  
Réspice, quæsumus, in oblatiónem Ecclésiæ tuæ et, agnóscens Hóstiam, cuius  
voluísti immolatióne placári, concéde, ut qui Córpo et Sángvine Fílii tui  
refícimur, Spíritu eius Sancto repléti, unum corpus et unus spíritus inveniámur  
in Christo.


Ipse nos tibi perfíciat munus ætérnum, ut cum eléctis tuis hereditátem  
cónsequi valeámus, in primis cum beatíssima Vírgine, Dei Genetríce, María,  
cum beato Ioseph, eius Sponso, cum beátis Apóstolis tuis et gloriósis  
Martýribus, (cum Sancto N.: Sancto diei vel patrono) et ómnibus Sanctis, quorum  
intercessióne perpétuo apud te confídimus adiuvári.

Hæc Hóstia nostræ reconciliatiónis profíciat, quæsumus, Dómine, ad totius  
mundi pacem atque salútem. Ecclésiám tuam, peregrinántem in terra, in fide et  
caritáte firmáre dignéris cum fámulo tuo Papa nostro N., et Epíscopo nostro  
(vel huius ecclesiæ) N., cum episcopáli órđine et univérso clero et omni pópulo  
acquisitiónis tuæ. Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti, adésto propítius.  
Omnes filios tuos ubíque dispérsos tibi, clemens Pater, miserátus coniúnge.

Fratres nostros defunctos et omnes qui, tibi placentes, ex hoc sæculo transierunt, in regnum tuum benignus admitte, ubi fore speramus, ut simul glória tua perenniter satiemur, per Christum Dóminum nostrum, per quem mundo bona cuncta largiris.

**V.** Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spíritus Sancti, omnis honor et gloria per ómnia sæcula sæculórum.

**R.** Amen.



**PREX EUCHARISTICA IV**

V. Dóminus vobíscum.

R. **Et cum spírítu tuo.**

V. Sursum corda.

R. **Habémus ad Dóminum.**

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. **Dignum et iustum est.**

VERE dignum est tibi grátias ágere, vere iustum est te glorificáre, Pater sancte, quia unus es Deus vivus et verus, qui es ante sácula et pérmanes in ætérnum, inaccessíblem lucem inhábitans; sed et qui unus bonus atque fons vitæ cuncta fecísti, ut creatúras tuas benedictiónibus adimpléres multásque lætificáres tui lúminis claritáte.

Et ídeo coram te innúmeræ astant turbæ angelórum, qui die ac nocte sérvíunt tibi et, vultus tui glóriam contemplántes, te incessánter glorífícant.

Cum quibus et nos et, per nostram vocem, omnis quæ sub cælo est creatúra nomen tuum in exsultatióne confitémur, canéntes:

**Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth, Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis.**

**Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.**



Confitémur tibi, Pater sancte, quia magnus es et ómnia ópera tua in sapiéntia et caritáte fecísti. Hóminem ad tuam imáginem condidísti, eíque commisísti mundi curam univérsi, ut, tibi soli Creatóri sérvians, creatúris ómnibus imperáret. Et cum amicitiam tuam, non obœdiens, amisisset, non eum dereliquísti in mortis império. Omnibus enim misericórditer subvenísti, ut te quæréntes invenírent. Sed et fœ´dera plúries homínibus obtulísti eósque per prophétas erudísti in exspectatióne salútis.

Et sic, Pater sancte, mundum dilexísti, ut, compléta plenitúdine témporum, Unigénitum tuum nobis mitteres Salvatórem. Qui, incarnátus de Spíritu Sancto et natus ex María Vírgine, in nostra condiciónis forma est conversátus per ómnia absque peccáto; salútem evangelizávit paupéribus, redemptiónem captívus, mæstis corde lætítiam. Ut tuam vero dispensatiónem impléret, in mortem trádedit semetípsum ac, resúrgens a mórtuis, mortem destrúxit vitámque renovávit.

Et, ut non ámplius nobismetípsis viverémus, sed sibi qui pro nobis mórtuus est atque surréxit, a te, Pater, misit Spíritum Sanctum primítias credéntibus, qui, opus suum in mundo perficiens, omnem sanctificatiónem compléret.

Quáesumus ígitur, Dómine, ut idem Spíritus Sanctus hæc múnere sanctificáre dignétur, ut Corpus et ✠ Sanguis fiant Dómini nostri Iesu Christi, ad hoc magnum mystérium celebríndum, quod ipse nobis relíquit in fœdus ætérnum.

Ipse enim, cum hora venisset ut glorificaretur a te, Pater sancte, ac dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos: et cenantibus illis accepit panem, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, dicens:

ACCÍPITE ET MANDUCÁTE EX HOC OMNES:  
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,  
QUOD PRO VOBIS TRADÉTUR.

Símili modo, accípiens cálicem, ex genímine vitis replétum, grátias egit, deditque discipulis suis, dicens:

ACCÍPITE ET BÍBITE EX EO OMNES:  
HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS  
MEI NOVI ET ÆTÉRNI  
TESTAMÉNTI,  
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDÉTUR  
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.  
HOC FÁCITE IN MEAM COMMEMORATIÓNEM.

**V.** Mystérium fidei.

**R.** Mortem tuam annuntiámus, Dómine, et tuam  
resurrectiónem confitémur, donec vénias.

vel.

**R.** Quotiescúmque manducámus panem hunc et cálicem bíbimus,  
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

vel.

**R.** Salvátor mundi, salva nos, qui per crucem et  
resurrectiónem tuam liberásti nos.

Unde et nos, Dómine, redemptiónis nostræ memoriále nunc celebrántes, mortem Christi eiúsque descensum ad ínferos recólimus, eius resurrectiónem et ascensiónem ad tuam dexteram profitémur, et, exspectántes ipsíus advéntum in glória, offérimus tibi eius Corpus et Sáanguinem, sacrificium tibi acceptábile et toti mundo salutáre.

Réspice, Dómine, in Hóstiam, quam Ecclesiæ tuæ ipse parásti, et concéde benígnus omnibus qui ex hoc uno pane participábunt et cálice, ut, in unum corpus a Sancto Spíritu congregáti, in Christo hóstia viva perficiántur, ad laudem glóriæ tuæ.

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre, pro quibus tibi hanc oblatiónem offérimus: in primis fámuli tui, Papæ nostri **N.**, Epíscopi nostri (**vel** huius ecclesiæ) **N.**, et Episcopórum órdis univérsi, sed et totíus clerí, et offeréntium, et circumstántium, et cuncti pópuli tui, et ómnium, qui te quæerunt corde sincéro.

Meménto étiam illórum, qui obiérunt in pace Christi tui, et ómnium defunctórum, quorum fidem tu solus cognovísti.

Nobis ómnibus, filiis tuis, clemens Pater, concéde, ut cæléstem hereditátem cónsequi valeámus cum beáta Vírgine, Dei Genetríce, María, cum Apóstolis et Sanctis tuis in regno tuo, ubi cum univérsa creatúra, a corruptióne peccáti et mortis liberáta, te glorificémus per Christum Dóminum nostrum, per quem mundo bona cuncta largírís.

**V.** Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipoténti, in unitáte Spíritus Sancti, omnis honor et gloria per ómnia sácula sæculórum.

**R.** **Amen.**

## RITUS COMMUNIONIS

### PATER NOSTER

V. Præcéptis salutáribus móniti, et divína institutióne formáti, audémus dícere:

**Pater noster, qui es in cælis: sanctificétur nomen tuum; advéniat regnum tuum; fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra. Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie; et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris; et ne nos indúcas in tentatiónem, sed líbera nos a malo.**

V. Líbera nos, quásumus, Dómine, ab ómnibus malis, da propítius pacem in diébus nostris, ut, ope misericórdiæ tuæ adiúti, et a peccáto simus semper líberi et ab omni perturbatióne secúri: exspectántes beátam spem et advéntum Salvatóris nostri Iesu Christi.

R. **Quia tuum est regnum, et potéstas, et glória in sácula.**

### RITUS PACIS

V. Dómine Iesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis: Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccáta nostra, sed fidem Ecclésiæ tuæ; eámque secúndum voluntátem tuam pacificáre et coadunáre dignéris. Qui vivis et regnas in sácula sæculórum.

R. **Amen.**

V. Pax Dómini sit semper vobíscum.

R. **Et cum spíritu tuo.**

V. Offérte vobis pacem.

**FRACTIO PANIS**

V. Hæc commixtio Cörperis et Sanguinis Dómini nostri Iesu Christi fiat accipiéntibus nobis in vitam ætérnam.

**Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.**

**Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.**

**Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: dona nobis pacem.**

**COMMUNIO**

V. Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperánte Spíritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificásti: líbera me per hoc sacrosánctum Corpus et Sanguinem tuum ab ómnibus iniquitatibus meis et univérsis malis: et fac me tuis semper inhærére mandátis, et a te numquam separári permíttas.

vel.

V. Percéptio Cörperis et Sanguinis tui, Dómine Iesu Christe, non mihi provéniat in iudícium et condemnatióem: sed pro tua pietáte prosit mihi ad tutaméntum mentis et cörperis, et ad medélam percipiéndam.

V. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi. Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

**R. Dómine, non sum dignus, ut intres sub téctum meum, sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.**

V. Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam.

V. Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam.

V. Corpus Christi.

R. Amen.

V. Quod ore sumpsimus, Dómine, pura mente capiámus, et de múnere temporáli fiat nobis remédium sempitérnium.

**ORATIO POST COMMUNIONEM**

V. Orémus.

R. Amen.

## RITUS CONCLUSIONIS

V. Dóminus vobíscum.

R. **Et cum spírítu tuo.**

V. Benedícat vos omnípotens Deus, Pater, et Fílius, ✠ et Spírítus Sanctus.

R. **Amen.**

V. Ite, missa est.

R. **Deo grátias.**

vel.

V. Ite, ad Evangelium Domini annuntiandum.

R. **Deo grátias.**

vel.

V. Ite in pace, glorificando vita vestra Dominum.

R. **Deo grátias.**

vel.

V. Ite in pace.

R. **Deo grátias.**

## ORATIONES POST MISSAM

### PLÁCEAT TIBI

Pláceat tibi, sancta Trínitas, obséquium servitútis meæ: et præsta; ut sacrificium, quod óculis tuæ maiestátis indignus óbtuli, tibi sit acceptábile, mihique et ómnibus, pro quibus illud óbtuli, sit, te miseránte, propitiábile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

### ORATIONES LEONIS XIII

**V.** Ave María, grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus et benedíctus fructus ventris tui, Iesus.

**R.** **Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.**

**V.** Ave María, grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus et benedíctus fructus ventris tui, Iesus.

**R.** **Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.**

**V.** Ave María, grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus et benedíctus fructus ventris tui, Iesus.

**R.** **Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.**

**Salve Regína, Mater misericórdiæ, vita, dulcédo, et spes nostra, salve. Ad te clamámus, éxsules filii Evæ. Ad te suspirámus geméntes et flentes in hac lacrymárum valle. Eia ergo, Advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Iesum, benedíctum fructum ventris tui, nobis, post hoc exílium, osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Mária.**



V. Ora pro nobis, sancta Dei Génitrix.

R. **Ut digni efficiámur promissionibus Christi.**

V. Orémus. Deus, refúgium nostrum et virtus, pópulum ad te clamántem propítius respice; et intercedénte gloriósa, et immaculáta Vírgine Dei Genitrice María, cum beáto Ioseph, eius Sponso, ac beatis Apóstolis tuis Petro et Paulo, et ómnibus Sanctis, quas pro conversióne peccatórum, pro libertáte et exaltatióne sanctæ Matris Ecclésiæ, preces effúndimus, miséricors et benígnus exáudi. Per eúndem Christum Dóminum nostrum.

R. **Amen.**

**Sancte Michaël Archángle, defénde nos in prælio; contra nequítiam et insídias diaboli esto præsidium. Imperet illi Deus, súpplikes deprecámur: tuque, Princeps militiæ Cælestis, sátanam aliósque spíritus malignos, qui ad perditionem animárum pervagántur in mundo, divína virtúte in inférnum detrúde. Amen.**

V. Cor Iesu sacratíssimum.

R. **Miserére nobis.**


V. Cor Iesu sacratíssimum.

R. **Miserére nobis.**

V. Cor Iesu sacratíssimum.

R. **Miserére nobis.**

**ORATIO AD D. N. I. C. CRUCIFIXUM**



EN ERGO, o bone et dulcissime Iesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et caritatis sensus, atque veram peccatorum meorum paenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere; dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod iam in ore ponebat tuo David propheta de te, o bone Iesu: Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Amen.

**OBLATIO SUI**

SUSCIPE, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco. Amen.

**GRATIAM ACTIO POST MISSAM**

**CANTICUM TRIUM PUERORUM (DAN. 3, 57-87 ET 56)**

**Ant.** Trium puerórum cantémus hymnum: quem cantábant sancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum. (T. P. Allelúia.)

Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino:

\* laudáte et superexaltáte eum in sácula.

Benedícite, Ángeli Dómini, Dómino:

\* benedícite, cæli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dómino:

\* benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol et luna, Dómino:

\* benedícite, stellæ cæli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino:

\* benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis et æstus, Dómino:

\* benedícite, frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruína, Dómino:

\* benedícite, gelu et frigus, Dómino.

Benedícite, glácies et nives, Dómino:

\* benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino:

\* benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum:

\* laudet et superexáltet eum in sácula.

Benedícite, montes et colles, Dómino:

\* benedícite, univérſa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino:

\* benedícite, mária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete, et ómnia, quæ movéntur in aquis, Dómino:

\* benedícite, omnes vólucres cæli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino:

\* benedícite, filii hóminum, Dómino.

Benedícat Israël Dóminum:

\* laudet et superexáltet eum in sácula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino:

\* benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus, et ánimæ justórum, Dómino:

\* benedícite, sancti, et húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Ananía, Azaría, Mísaël, Dómino:

\* laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu:

\* laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli:

\* et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

### PSLAMUS 150

Laudáte Dóminum in sanctis eius:

\* laudáte eum in firmaménto virtútis eius.

Laudáte eum in virtútibus eius:

\* laudáte eum secúndum multitudínem magnitúdinis eius.

Laudáte eum in sono tubæ:

\* laudáte eum in psaltério, et cíthara.

Laudáte eum in týmpano, et choro:

\* laudáte eum in chordis, et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus: laudáte eum in cýmbalis iubilatiónis:

\* omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri, et Fílio, \* et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípío, et nunc, et semper: \* et in sæcula sæculórum. Amen.

**Ant.** Trium puerórum cantémus hymnum: quem cantábant sancti in camíno ignis, benedicétes Dóminum. (T. P. Allelúia.)

V. Kýrie, eléison.

R. **Kýrie, eléison.**

V. Christe, eléison.

R. **Christe, eléison.**

V. Kýrie, eléison.

R. **Kýrie, eléison.**

**Pater noster, qui es in cælis: sanctificétur nomen tuum; advéniat regnum tuum; fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra. Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie; et dimítte nobis débíta nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;**

V. Et ne nos indúcas in tentatiónem,

R. **Sed líbera nos a malo.**

V. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua.

R. **Et Sancti tui benedícant tibi.**

V. Exsultábunt Sancti in glória.

R. **Lætabúntur in cubílibus suis.**

V. Non nobis, Dómine, non nobis.

R. **Sed nómini tuo da glóriam.**

V. Dómine, exáudi oratiónem meam.

R. **Et clamor meus ad te véniat.**

V. Dominus vobíscum.

R. **Et cum spírítu tuo.**

V. Orémus. Deus, qui tribus púeris mitigásti flammam ígnium: concéde propítius, ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

Actiones nostras, quæsumus Dómine, aspirándo préveni, et adiuvándo proséquere: ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

Da nobis, quæsumus Dómine, vitiórum nostrórum flammam exstingúere; qui beato Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Christum Dóminum nostrum.

R. **Amen.**

**ORATIAM AD BEATAM MARIAM VIRGINEM**

O MARIA, Virgo et Mater sanctíssima, ecce, suscépi dilectíssimum Fílium tuum, quem immaculáto útero tuo concepísti, genuísti, lactásti, atque suávissimis ampléxibus strinxísti. Ecce, cuius aspéctu lætabáris et ómnibus delíciis replebáris, illum ipsum tibi humíliter et amánte repræsénto et óffero tuis bráchiis constringéndum, tuo corde amándum, sanctissimæque Trinitáti in suprénum latríæ cultum, pro tui ipsíus honóre et glória et pro meis totiúsque mundi necessitátibus, offeréndum. Rogo ergo te, piíssima Mater, ímpetra mihi véniam ómnium peccatórum meórum, uberémque grátiam ipsi deinceps fidélius serviéndo, ac deníque grátiam finálem, ut eum tecum laudáre possim per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

**ORATIAM AD SANCTI IOSEPH VIRGINUM**

VIRGINUM custos et pater, sancte Ioseph, cuius fidéli custódiæ ipsa Innocéntia Christus Iesus et Virgo vírginum María commíssa fuit: te per hoc utrúmque caríssimum pignus Iesum et Mariám óbsecro et obtéstor, ut me, ab omni immundítia præservátum, mente incontamináta, puro corde et casto córpore Iesu et Mariæ semper fácias castíssime famulári. Amen.

**ORATIAM AD SANCTUM**

SANCTE N., in cuius honórem incruéntum Córporis et Sánguinis Christi sacrificium obtuli, fac, tua poténti apud Deum intercessióne, ut, usu huius mystérii, passiónis et mortis eíusdem Christi Salvatóris nostri mérita cónsequar, ac, cum illíus frequentatióne, contínuo crescat meæ salútis efféctus. Amen.



**ADORO TE DEVÓTE**

ADORO TE DEVÓTE, latens Déitas, Quæ sub his figúris vere látitas: Tibi se cor meum totum súbjicit, Quia, te contéplans, totum déficit.

Visus, tactus, gustus in te fállitur, Sed audítu solo tuto créditur: Credo, quidquid dixit Dei Fílius, Nil hoc verbo Veritátis vérius.

In Cruce latébat sola Déitas, At hic latet simul et humánitas;  
Ambo tamen credens atque cónfitens, Peto, quod petívit latro pænitens.

Plagas, sicut Thomas, non intúeor, Deum tamen meum te confíteor: Fac me tibi semper magis credere, In te spem habére, te dilígere.

O memoriále mortis Dómini, Panis vivus, vitam præstans hómini, Præsta meæ menti de te vívere, Et te illi semper dulce sápere.

Pie pellicáne, Iesu Dómine, Me immúndum munda tuo Sángvine, Cujus una stilla salvum fáceré Totum mundum quit ab omni scélere.

Iesu, quem velátum nunc aspício, Oro, fiat illud, quod tam sítio: Ut, te reveláta cernens fácie, Visu sim beátus tuæ glóriæ. Amen.





# **PRESERVING THE SACRED TRADITION**

IANUARIUS ~ ANNO DOMINI MMXXIV

© SUMMORUM PONTIFICUM PRESS

<https://summorumpontificum.neocities.org/>